DEDVCTIO

Ex qua probatur clarissimis Argumentis,

NON ESSE

JUS DEVOLUTIONIS

IN DUCATU BRABANTIÆ,

Nec in aliis Belgii Provinciis, ratione Principum earum, pro ut quidam conati sunt asserere.

M. DC. LXVI.

NEmo ignorat Sermones in Circulis omnibus per Galliam ventilatos de jure ſuccedendi in has Provincias, ſi contingeret Regem Catholicum præproperè in fata concedere, tum conſultationes cum Juriſconſultis Belgii clam habitas de eodem Argumento, ac nominatim de Ducatûs Brabantiæ devolutione ac pactorum nuptialium caducitate, ob non ſolutam dotem, ſponſæ Regiæ promiſſam. Sperni omnia potuerunt, quamdiu apud imperitam turbam hærerent: Verùm ne popularis error tandem perveniat ad eos, qui magnis cogitationibus ſubinde indulgent, viſum eſt futilitatem motarum apud vulgus quæſtionum in aperto ponere, deſignatis erroribus, atque ita ſubductis fundamentis, quibus plebeæ diſceptationes, & hallucinationes niti poterant.

Fruſtrà ſe fatigant, qui per everſionem pactorum Nuptialium ad Ducatus Brabantiæ ſucceſſionem viam nituntur aperire Filiæ ex primo matrimonio genitæ, excluſo Filio ſecundis nuptiis procreato, quaſi ſublatis clauſulis renuntiatoriis iiſdem pactis comprehenſis, nihil impedimenti ſuperſit, ut locus fiat conſuetudini ejuſdem Regionis, quæ dictat diſſoluto primo matrimonio, bona ſuperſtitis Parentis devolvi ad ejuſdem thori liberos, excluſis his qui ex ſecundo connubio fuerint geniti.

Nihil enim certiùs eſt, quàm ſepoſitâ etiam omni renuntiatione, nullam ſpem ſuccedendi competere poſſe Filiæ, quamdiu maſculus hæres ſupereſt, neque hoc intuitu factam eſſe, aut neceſſariam fuiſſe ullam renuntiationem, nec eam quæ generalibus verbis in Contractu Nuptiali concepta eſt, hunc caſum reſpexiſſe, quo Filius maſculus ſupereſſet Patri, ſed ad alias ulteriores & laterales ſuccedendi occaſiones, atque eventus.

Suo jure Filius hâc prærogativâ fruebatur, verùm ſi deficeret in totum maſculina Regis Soboles, ope renuntiationis agendum fuit, ut Filia ſenior excluderetur à juniore, aut Hæres Gallicus propinquior, ab Hiſpanico remotiore.

Status & conjectio totius cauſæ hæc eſt. Dicitur pro Sereniſſima Regina Galliæ, eam in ſucceſſione Ducatûs Brabantiæ præferri debere Fratri ſuo Carolo Hiſpaniarum Principi, ex ſecundo Matrimonio Regis Catholici genito. Idque hoc fundamento, quod in eodem Ducatu vigeat jus devolutiònis, quo liberi primi Thori, excludunt liberos ſecundi Thori, adeò ut in ſucceſſione Paterna feudali Fœminæ ex hoc capite ſubmoveant maſculos ſecundis nuptiis ab eodem Patre ſatos. Cui juri ſi quis per renunciationes nuptiales derogatum eſſe contenderit, reponitur illico eas irritas & caducas eſſe, partim ob minorem ætatem

tem renunciantis, & immodicam læſionem, partim ob non ſolutam ſuâ die pecuniam dotalem quæ promiſſa erat.

Hæc omnia uno ſpiritu & Argumento difflari poterant: Concedatur nimirum ſine præjudicio veritatis, devolutioni locum eſſe, nullæ ſint etiam renunciationes nuptiales, omnia denique æſtimentur ab inteſtato, quid poſtea? inſpiciendum ſine dubio primo loco erit, quid dictent mores, & leges fundamentales Brabantiæ circa ipſius Ducatus ſucceſſionem, atque indè æſtimandum quænam Perſonæ habiles ſint ad ſuccedendum, quænam inhabiles, quorſum enim utile eſt devolutioni in genere locum dare, ſi hi qui ſe offerunt per leges Regionis proprias incapaces ſint; Hoc unum ſi demonſtretur apud æquos rerum arbitros, confecta res erat, verum plenioris cognitionis gratia de omnibus aliquid delibandum eſt.

Si inveſtigemus primas leges ſuccedendi in Ducatum Brabantiæ, nihil reperiemus antiquiùs, vel firmiùs, quàm quod Anno 1204. Rex Romanorum Philippus in celebri Principum Conventu apud Confluentiam conſtituit his verbis: *Inſuper Regiâ noſtrâ autoritate ſtatuimus, & memorato Duci concedimus, ut Filiæ ſuæ, ſi maſculum hæredem non habuerit, in feudis ſuis liberè ei, tanquam maſculi ſuccedant.*

Quorum verborum complexu duo continentur:

 pri-

primum ad illud usque tempus Filias incapaces fuisse successionis in Ducatum Brabantiæ, quandoquidem id novo Privilegio iisdem concedatur: alterum non simpliciter, & absolutè Filias in futurum ejusdem successionis capaces esse redditas, verùm cum hac limitatione, *si Dux masculum hæredem non habuerit* quem proinde quando habet, jus pristinum de earum incapacitate illæsum manet.

Brabantia maxima ex parte Germanici Juris est, & in Imperii clientela, cujus Leges in fœminarum exclusione omnimoda, secuta est, usque dum Philippus Romanorum Rex eas temperavit admissione fœminarum ubi masculi deficerent, quæ exceptio hausta videtur ex Jure Lôtharingico, quo aliqua pars Brabantiæ regitur, ita ut sicuti ditio ipsa ex Germania & Lotharingia mixta est, ita jus partim Germanicum, partim Lotharingicum in ea locum habeat.

Sed etsi nullas succedendi Leges proprias Brabantia haberet, sine dubio communi Gentium Jure hâc in parte regenda esset, de quo Politici uno ore pronuntiant, Regna, Principatus, Dignitates hunc succedendi ordinem à primo ortu suo custodire, ut ubi sexûs fœmininus à gubernatione publica non omnino excluditur, ita demùm admittatur *si Masculi hæredes non exstiterint*. Pro omnibus dicat Arnisæus in Politicis cap. 2. sect. 4. n. 11. *Jus in omnibus Gentibus inde us-*

usque à primordiis Regnorum invaluit, ut quantumvis successionis jure utantur, ad Filias tamen Reipublicæ gubernacula non devolvantur, quamdiu Mares supersunt, & sect. 12. num. 57. & 67. *Fœmina etiam major natu in successione indivisibili excluditur à Masculo, & existente Masculo redigitur ad instar secundi gradus; Et licet in privatis hæreditatibus aliud jus obtineat, & æquales portiones fœmellas cum masculis auferre patiamur, an inde licet progredi ad successionem in rebus politicis? & publica exigere ad Leges privatorum?*

Unde liquet nullas vires habere Argumentum, quod à consuetudine Brabantiæ in bonis privatorum desumitur, secundùm quam liberi primi Thori soli auferunt paternam hæreditatem, exclusis genitis ex secundo conjugio ab eodem Patre, quod jus devolutionis vocamus, quasi easdem leges quæ inter privatos vigent, successio publica ejusdem Ducatus sequi, & subire debeat; recta quippè non est ratiocinatio à privatis successionibus ad publicas, ut à Politicis Authoribus jam affirmatum est.

Magna est rationis in utrâque successione diversitas, cùm gravius sit fœminam Regimini Reipublicæ admoveri, eâque in re Masculo anteferri, quàm eandem ad bonorum quorundam privatam possessionem admitti; Non procedit verò extensio Juris de specie unâ ad aliam, ubi occurrit rationis disparitas,

ritas, quæ etsi deficeret, adhuc alio ex capite non posset recipi consuetudinis extensio, à privatâ successione ad publicam, quòd scilicet Ducatus Brabantiæ proprias, & diffidentes à privato Jure acceperit leges à Philippo Rege, uti dictum est; cùm ea, quibus specialibus provisum est sanctionibus à generali consuetudine, vel lege exempta esse intelligantur.

Ipse contextus consuetudinum feudalium Brabantiæ quod dicimus clarè insinuat, dum ubique non nisi de bonis & reditibus quæ à Duce in feudum tenentur loquitur, de ipso Ducatu vel successione Principis nec verbum. Ipse Ducatus feudum Brabantiæ non est, sed Imperii, adeoque inter feuda Brabantica numerari non potest, nec comprehendi moribus aut legibus quæ de feudis Brabanticis aliquid disponunt.

Nil etiam magis notum quàm in feudis merè Brabanticis primogenito tantum duas tertias deberi, reliquam tertiam Fratribus, quod idem in feudis Wallono-Brabanticis primo-genitus primum feudum, secundo-genitus secundum, tertio-genitus tertium eligat, & sic consequenter, donec tota successio feudalis electione evacuetur, denique quod in feudis Grimberganis ultimo genito Fratrum idem Juris competat quod primo-genitis in aliis feudis merè Brabanticis, nemo tamen vidit Ducatum Brabantiæ vel partem

ejus-

ejuſdem, inter Filios Ducum, etiam ejuſdem Thori, diviſum fuiſſe vel ultimò genitum in diſtrictu Grimbergano aliquid prætendiſſe, caſus tamen ſæpiùs eveniſſet, tam in ſucceſſione Principum Domus Brabantiæ, quàm Burgundiæ & Auſtriæ; ſic ut manifeſtè conſtet à jure ſuccedendi privatorum, ad ſucceſſionem Principis non bene inferri.

Nemo etiam ignorat conſuetudines feudales Brabantiæ permittere non ſolùm pactis antenuptialibus, verùm etiam quâcumque aliâ diſpoſitione ſive inter vivos, ſive ultimæ voluntatis, devolutioni derogare, & ſuperſtiti Conjugum liberam diſpoſitionem feudorum, ut aliorum bonorum devolutioni ſubjectorum ſervare, ſed hactenus indignum judicatum fuit ipſum Ducatum vel ſucceſſionem Principum talibus pactis vel diſpoſitionibus ſubjicere, quod tamen in re tanti momenti prout erat ſucceſſionem Belgii Primo-genito integram ſervare, numquam omiſſum fuiſſet, ſi aliquis à devolutione metus eſſe poterat.

Denique etſi devolutioni in publica ſucceſſione Ducatûs locus eſſet dandus, id ſine dubio, uti dictum eſt, ſic accipiendum foret, poſitis terminis habilibus, & perſonis capacibus ad ſuccedendum; liquet verò ex ante dictis fœminas neutiquam habiles eſſe, niſi ſoboles omnis maſcula Ducis Brabantiæ defecerit; quæ ſi ſuperſit, manet illæſum Jus Bra-

banticum vetus de earumdem exclusione. Etiam in privata devolutione eadem ratiocinatio obtinere debet, ut liberi primi Matrimonii excludant alios; ita demùm si ipsi habiles & idonei sint ad succedendum.

Nullum ab omni ævo proferri potest exemplum tam irregularis in Brabantia successionis, ut in Regimine publico Fœmina Masculo ejusdem gradûs prælata sit; verùm ex adverso non desunt exempla, ubi respectu ejusdem Ducatûs neglectum fuerit devolutionis Jus.

Carolus Quintus amissâ primâ uxore Elisabethâ Lusitanâ, ex qua Philippus (uti ex Philippo etiam viduo Mariæ Lusitanæ Carolus supererat) de Provinciis Belgicis liberè disposuit in nuptiis ejusdem Philippi Secundi cum Maria Angliæ Regina initis Anno 1554. inter cætera spondens liberos qui ex isto Matrimonio nascerentur, successuros in omnes Belgii Provincias, excluso Carolo Philippi Filio; quod ei minimè licuisset, si per devolutionis Leges Ducatûs Brabantiæ, Geldriæ, *&c.* Proprietate jam exciderat, eaque ad dictum Carolum devoluta erat, uti in privatis devolutionibus Jus est, ubi Patre & Avo viduo bona devoluta ad Nepotem transmissa sunt.

Similiter Philippus Secundus solutus Matrimonio cum Elisabetha Francica tertia Uxore sua, de iisdem Provinciis ex arbitrio suo statuit, & contraxit; cedens eas, ac donans Isabellæ Filiæ suæ Anno 1598.

nu-

nubenti Archiduci Alberto, quas etiam certis legibus reversionis ad stirpem Hispanicam, aliisque pactis adstrinxit, non facturus si existimasset devolutionis vinculum sibi injectum, & proprietate præcipui Ducatûs, seu ejusdem dispositione, se vi consuetudinis excidisse, quo casu neque cedere, vel donare, aut conditiones ullas Filiæ suæ imponere poterat, utpotè cui jam sine ullo onere Jus quæsitum erat, si devolutioni locus in hujusmodi supremis titulis dari debebat. Quibus exemplis conficitur, neque agnitum fuisse à Principibus nostris Jus devolutionis respectu harum Provinciarum, neque ullâ in re effectum habuisse, acquiescentibus cunctis quorum interesse poterat.

De quo Jure si dubitatum aliquando fuisset, non omisisset Sabaudica Domus anno 1633. post mortem ejusdem Isabellæ Sororis Germanæ Catharinæ, hoc etiam argumento causam suam stabilire; quando omnia quæ potuit, movit, ad successionem harum ditionum ex capite Catharinæ sibi asserendam.

Si enim devolutioni, quæ inter privatos viget, etiam in ista successione publicâ locum esse oportebat, dubium non est, quin eo Jure securitas proprietatis Brabantiæ post mortem Philippi, etiam ad Catharinam Sabaudicam subordinatè, & gradatim pertinuerit, atque eâ sublatâ anno 1597. ac deinde defunctâ Isabellâ anno 1633. hæredes Catharinæ Jus suc-

cedendi haberent, si aliud nihil obstaret; sed qui publicis scriptis Domus Sabaudicæ causam tunc propugnarunt, & quibus potuerunt rationibus & titulis muniverunt, sibi persuasum non habuêre, se aliquid præsidii in devolutione posse collocare, cujus proinde mentionem penitùs omiserunt.

Sed nullo argumento evidentiùs convincitur, non tantùm ipsorum Principum, sed Universi Belgii sensum pridem fuisse in successione hujus Principatus devolutioni locum non dari, quàm quod perpetuâ lege à Carolo Quinto Imperatore anno 1549. sancitum est, Provincias Belgicas deinceps nulla succedendi varietate ab invicem separandas, sed perpetua conjunctione ab uno semper Principe fore possidendas in verbis: *Desirans sur toutes choses pourveoir au bien, repos, & tranquillité de nos Pays de par deçà, & conserver iceux en une masse, & qu'ils soyent inseparablement possedés par un seul Prince.* Quem scopum ut assequeretur Imperator, differentiam omnem successionis, tanquam obicem unicum propositi sui, è medio movit, introducto per omnes Provincias Jure repræsentationis, quo liberi in succedendo, parentum suorum qui propinquiores erant, locum, & personam exhibent, quod tunc in quibusdam earundem nondum obtinebat, à quo solo divisio compagis hujus corporis Belgici metui potuerat. Quam novam constitutionem Ordines

nes ſingularum ditionum, ut paci, & ſtabilitati publicæ neceſſariam, non tantum comprobarunt, ſed etiam efflagitarunt (uti ex actis publicis liquet) ac deinde earumdem Gubernatores ſubſcriptione nominis ſui muniverunt his verbis: *Meſmes leſdits Eſtats ont fait inſtance devers nous, que vouluſſions introduire ladite Loy, &c. Statuons & Decretons, qu'en tous noſdits Pays repreſentation aura lieu en ce qui touche la ſucceſſion de Prince ou Princeſſe eſtans capables à ſucceder, &c.* Poſt quæ ſequitur longa ſeries nominum adſcriptorum non tantùm Procerum, & Nobilium, ſed primi ſubſellii Togatorum, putà Præſidis ſacri Conſiſtorii, Cancellarii, &c.

Hæc tam ſollicita diligentia, & providentia tota inanis atque irrita erat, ſi Provinciarum aliquæ Juri devolutionis ſubjectæ, & aliæ exemptæ erant: quomodo enim firma poterat eſſe conjunctio, ſi quædam ditiones propter Jus devolutionis ad liberos primi Matrimonii, aliæ ad genitos ſecundo thoro pertinere debeant? exciderit proinde ſapientiſſimus Princeps ſcopo ſuo, eò quod Jura Ditionum ſuarum ignoraverit; quod ineptum fuerit cogitare, & nemo rerum conſultus facilè dicet, qui expenderit Ordines, & Conſilia Provinciarum præcipua tam ſolemni legi condendæ interveniſſe, quos omnes Jus, in quo quotidiè verſabantur ignoraſſe, ab omni veriſimilitudine alienum eſt.

Hunc communem universi Belgii sensum de non admittendo Jure devolutionis circa ejusdem Principatus à Majoribus sibi traditum, rebus ipsis & factis quotidiè testatur omnis hominum ordo, Antistites, Optimates, Urbes, & privati omnigenæ conditionis, dum in oppignorationes ac distractiones bonorum, & titulorum sacri patrimonii, quas Gallici belli necessitas nuper expressit sine hæsitatione consentiunt, passim ementes prædia, & titulos quos Rex anteà possidebat, qui, si devolutio locum haberet respectu Regis, distrahi nullo pacto poterant, utpotè qui jam prioribus nuptiis solutus erat, at ipsum denique Ordinum corpus, authoritatem indies præstat ejusmodi alienationibus, nemine metuente nummos suos in hæc commercia collocare, quæ publica securitas satis significat nullam de devolutione dubitationem animis hominum Belgarum insidere.

Quæ de Ducatu Brabantiæ suprà dicta sunt, non solùm ad Limburgensem qui Brabantiæ inseparabiliter connexus est, ut omnibus constat, sed etiam ad Geldriæ successionem transferenda sunt, quam enim legem Philippus Romanorum Rex, anno 1204. successioni Brabantiæ præscripsit, eandem Carolus Quintus Imperator Ducatui Geldriæ imposuit, editâ ad postulationem Ordinum Pragmaticâ Sanctione anno 1549. quâ fœminas ad successionem Ducatus ejusdem recipi voluit, si Masculi hæredes nulli existerent;

his

his verbis: *Authoritate nostrâ, & de plenitudine potestatis decernimus, & declaramus hoc nostro Cæsareo Edicto perpetuo, quod in nostro Ducatu Geldriæ, & Zutphaniæ Comitatu, uti in cæteris aliis Provinciis nostris Patrimonialibus, & hæreditariis deinceps omni, & quocumque tempore, fœminæ, non extantibus masculis hæredibus, succedere possint, & debeant, &c.* Ex qua Sanctione non tantùm pro Geldria, sed etiam pro aliis omnibus Provinciis eadem Argumenta profluunt, quæ de Brabantiæ Ducatu adducta sunt; cùm manifesta sint verba: *uti in cæteris Provinciis nostris patrimonialibus & hæreditariis.*

De Comitatu proinde Namurcensi nihil opus erat dicere, quem etiam constat Anno 1418. à Joanne novissimo Comite, assentientibus Ordinibus Provinciæ, Duci Burgundiæ Philippo Bono venditum, & traditum fuisse hâc lege, ut perpetuò & inseparabiliter Comitatui Flandriæ maneret annexus, cum quo parem proinde successionis legem subire debet, quæ cùm nihil commune habeat cum Jure Devolutionis, ita nec habere potest Namurcensis ditio, utcumque inter privatos aliud Jus ibidem obtineat.

Sed hoc etiam Contractu, & pactis adjectis cessantibus, constat Namurcensem Comitatum feudum esse Hannoniæ, cujus proinde leges in successione, tanquam feudi dominantis, sequi obstringitur, inter quas cùm hæc indubitata sit, Filium secun-

cundi Thori in feudali successione præferri Filiabus primi Thori, sive in publica, sive in privata successione, nihil superest quod dubitationem hic movere possit.

Sed ut nihil intactum relinquant, aliquid etiam de ipsa Hannoniæ successione movent, nimirum quod Articulo 4. Consuetudinum ejusdem Provinciæ sub titulo *des Alloëts* statuitur, *Allodia patrimonialia pertinere ad Liberos primi Matrimonii, sive Filium, sive Filiam, & quamdiu hi supersunt, locum non dari Prolibus sequentis Connubii.* Quâ dispositione ipsum etiam Comitatum tamquam liberum, & sui juris, adeoque inter Allodia numerandum involvunt: sed quàm invitâ Themide ostendit ejusdem Articuli, quæ sequitur periodus, ubi bona ista, si ex laterali successione obveniant, inter Liberos utriusque Matrimonii dividenda esse, præscribitur; quam divisionem Comitatui non convenire certum est, cùm secundùm communem Gentium usum soli Primo-genito semper hic Principatus delatus fuerit integer, uti Annales & monumenta publica illius innumeris exemplis, ac per omnes penè successiones fidem faciunt, ut indubitatum sit de solis privatorum bonis ibidem agi.

Similis farinæ est alterum Argumentum ex iisdem Consuetudinibus Cap. 91. Artic. 3. desumptum, ubi feuda acquisita constante Matrimonio ejusdem Thori liberis addicuntur, & reservantur: inter acqui-

ſita verò à Rege Catholico habendas eſſe has Provincias hoc colore volunt, quòd per mortem Sereniſſimæ Infantis Iſabellæ anno 1633. eidem obvenerint juxta pacta reverſionis contractui nuptiali anno 1598. appoſita. Verùm præterquam quod jam ſæpiùs dictum ſit, privatorum mores legem imponere non poſſe ſucceſſioni publicæ, quæ ſuas ſeorſim regulas ſemper habuit à civium Jure diverſas, hunc intellectum ſemper admittere debet conſuetudo liberos vocans aut præferens, ſi habiles & idonei ſint ad ſuccedendum, quales fœminæ dici nequeunt reſpectu Principatuum, niſi deficiant maſculi ejuſdem gradus, ut proinde licèt Hannonica Conſuetudo generatim in tali ſucceſſione vires haberet, temperanda foret hâc exceptione, niſi maſculus cum fœmina concurrat, quem ſolùm tunc admitti debere ſuprà oſtenſum eſt.

Quæ reſponſio cùm plenè ſatisfaciat, nihil neceſſe eſt, quod alioquin vel ex ipſis Gallorum commentariis facile foret oſtendere, non poſſe inter acquiſita ſeu quæſtus matrimoniales numerari ea, quæ ex Avito patrimonio Jure ſanguinis, Gentis, & ſtipulationis nuptialis ad Maritum connubio durante revertuntur; quod pro conſtanti Conſuetudinum hujuſmodi interpretamento aſſumit Præſes Britanniæ Argentræus ad Artic. 418. ejuſdem Provinciæ Conſuetudinum, quem authores reliqui facilè ſequuntur.

Constat autem Provincias Belgicas anno 1633. ad Regem Catholicum revolutas, priùs à sanguine avito longâ serie processisse, atque ad eumdem Regem deinde quasi naturaliter rediisse, qui acquirendi modus in numerum conquæstuum Conjugalium referri nullo colore potest.

Sed per singulas Provincias ire superfluum est, cùm de omnibus unâ periodo pronuntiaverit Imperator Carolus Quintus admitti fœminas ad earum successionem, *Masculis non exstantibus*; quæ clausula omnem difficultatem penitùs abolet, & perimit.

Quæ cùm ita sint, videri poterat supervacuum de viribus renuntiationis in Contractu Nuptiali à Serenissima Infante Hispaniarum, hodie Galliæ Reginâ factæ, disserere; cùm jam ostensum sit, citra omnem renuntiationem Masculum hæredem præferendum esse Filiæ etiam primi Matrimonii, licèt ipse ex secundo sit genitus.

Verùm si de laterali successione controversia incideret, atque dicta Hispaniarum Infans tamquam gradu propinquior cæteris anteferri postularet, in his terminis, exceptione renuntiationis à se factæ repelli posset, quandoquidem amplissimis verbis atque in omnem prorsus casum à cunctis Regis Catholici ditionibus se pro exclusa habendam esse juramento declaraverit, idque in conclusione sanctissimi fœderis Connubialis, & pace universali Europæ stabilienda,

lienda, atque in conſpectu, & cum applauſu totius orbis Chriſtiani, aſſiſtentibus ipſis Regibus cum Familiis Regii ſanguinis, ac primis Proceribus utriuſque Regni, quo nihil poteſt aut ſolemnius, aut religioſius cogitari.

Ad cujuſmodi tam publicas & ſolemnes pactiones permitti non debet, ut penetrent argutiæ Cauſidicorum, quæ in privatorum conventionibus intervenire ſolent, veluti de minorennitate Filiæ renuntiantis, de enormi ejuſdem læſione, de non numerata tempeſtivè dotali pecuniâ, quæ ad certam diem promiſſa erat, aliaque hoc genus, quæ hodiè in vulgus jactata ſunt. Quos omnes cavillos nulla magis quàm Gallica Juriſprudentia explodere ſolet, quam declinare tamquam ſibi domeſticam eadem Natio non poteſt; videre autem licet quid Juriſprudentia iſta dictet apud Annæum Robertum, Chopinum, Molinæum, Cujacium, Paponem, Charond. Maynard. Fabrum, alioſque plurimos primæ notæ Authores; inter quos celeberrimus Arreſtorum Collector Louët & Subnotator ejuſdem Brodeau inter res conſtanter à ſupremis Tribunalibus judicatas refert ejuſmodi renuntiationes Filiarum, non attentâ minorennitate, aut læſione, ſemper pro firmis fuiſſe habitas, præſertim quæ tendunt ad Illuſtrium Familiarum conſervationem. Verba prædicti Brodeau litt. R. num. 17. ſunt: *C'eſt choſe certaine & reglée par les Arreſts, que telles*

renontiations aux successions futures, directes, & collaterales par un Contract de Mariage, duquel les clauses contenants les renonciations sont accessoires & coherentes, prennent la mesme nature, soit entre Nobles, ou Roturiers, & que les Filles n'en peuvent estre relevées pour quelque cause & pretexte que ce soit de minorité, crainte, ou lesion enorme, &c. Sed potissima vis & impressio ex adverso collocatur in hac clausula pactis Nuptialibus inserta, quæ Gallico Idiomate sic concepta est : *Que moyennant le payement effectif fait à Sa Majesté Tres-Chrestienne desdits cinq cents mille Escus aux termes qu'il a esté cy-devant dit, ladite Serenissime Infante se tiendra pour contente*, &c.

Cùm verò ad constitutam diem pecunia soluta, aut oblata non fuerit, deficere aiunt causam *Renuntiationis*, atque adeò & ipsam renuntiationem, sed refragatur inhumano rigori æquitas Juris, quæ moræ purgationem, & emendationem re integrâ semper admittit, *Nam promissor post moram offerendo, purgat moram*, inquit l. 73. ff. de Verb. Oblig. Deinde ut quàm rigidissimè omnia procedant, non hic est moræ effectus, ut contractus propterea ipse rescindatur, sed damnum, quod inde evenerit, sarciatur : ita si Emptor in solvendo pretio moram fecerit, usurarum seu ejus quod interest præstatione defungitur, illæso manente contractu. Ipsi Galliæ Juris Consulti ante laudati in hac ipsa specie Renuntiationis Nuptialis Juri

ri communi insistentes, nullam rescissionem admittunt ob defectum numerationis, quia ut inquit Molinæus Pragmaticorum Galliæ Coriphæus, *Filia non per numerationem dotis, sed per conventionem excluditur*, & qui molliori Jurisprudentiæ indulgentes reditum ad successionem Paternam aliquando Filiæ concedunt, moderationem istam recipiunt, ut priusquam Filiam, cui promissa dos numerata non est, ad successionem, quam abdicavit, admittant, diem solvendi prorogent, novo termino assignato, ita ut interea reditus ad successionem non concedatur, prout per Senatus-Consulta Galliæ confirmat idem Brodeau litt. R. num. 18.

Denique Renuntiatio Filiæ ex hoc capite vitii arguitur, quòd non tantùm futurâ, & incertâ successione se abdicaverit, sed Juri per Devolutionem jam quæsito, & delatæ per dissolutionem matrimonii proprietati bonorum Paternorum renuntiaverit, quod Juris authoritas minorennibus non permittit, cùm non alia de causa Renuntiationes Filiarum admissæ sint, quàm quod propter incertitudinem pendentis successionis, & dubium eventum lucri, vel damni, nulla possit adhuc considerari læsio, quæ è contrario tunc manifesta est, cùm non tantùm acquirendæ, sed acquisitæ successioni renuntiatur.

Sed præterquam quod devolutionis vis omnis in publicis jam rejecta sit, ex ignorantia ejusdem Juris nata est hæc ratiocinatio, & hallucinatio, cùm

jam rerum judicatarum constanti authoritate, quæ vim Consuetudinis habet, receptum sit devolutionem haberi non posse pro specie successionis, quæ vivo parente proprietatem bonorum ejus adjiciat liberis primi Thori; quod certum sit viventis non esse hæreditatem, nec devolutio aliud operetur quàm vinculum injicere bonis paternis intuitu atque in rem liberorum cum interdicto alienandi, donec casus succedendi per mortem superstitis parentis eveniat; quæ cùm deficere etiam possit, si nempe liberi ante Patrem defungantur, nulla hic fingi potest certitudo acquisitionis, cui renuntiari à Filia non possit, nec dici proprietatem mox à thori dissolutione pertinere ad liberos: quem esse genuinum sensum hujus Juris Consuetudinarii Belgii Pragmatici, & Consulti Galliæ tamquam rem peregrinam hactenus ignorant, sed si volunt discere, poterunt ex scriptis Juris-Consultorum Belgii, inter quos ante Annos 80. eminuit Joannes Wamesius, qui centuria 6. Cons. 58. in hunc modum scripsit: *Consuetudinaria devolutio proprietatis non est successio, sed vinculum tantùm, quod superstiti injicitur, & quo bona etiam afficiuntur, ne liberâ voluntate superstitis alienari, vel pignorari possint, quo vinculo propriè dici non potest, quòd superstes desinat esse proprietarius eorumdem bonorum; cujus indicium est, quòd liberis primi Matrimonii, quorum favore hoc vinculum injectum est, decedentibus ante Conjugem superstitem*

ſtitem, veluti prædicto vinculo diſſoluto, ſuperſtes liberum arbitrium diſponendi de iiſdem bonis recuperet ſuo Jure, non ut hæres liberorum, &c.

Cùm igitur inter incertos caſus ſucceſſionis referendam eſſe appareat devolutionem, non minus illius reſpectu Renuntiationem factam ſubſiſtere oportet, quàm intuitu aliorum eventuum.

Sed hæc quæ de devolutione, ejuſque derogatione dicuntur, ex abundanti adducta ſunt, cùm conſtet reſpectu publicæ ſucceſſionis, non tantùm in Brabantia, Limburgo, Geldria & Namurco, ſed nec in alia ulla Provincia, aut ditione Regis Catholici hoc Jus devolutionis vigere, ut omnibus publicæ rei peritis ſatis notum eſt.

Quòd ſi tamen ex Conſuetudinum quarumdam diverſitate, aut obſcuritate aliquid dubitationis adhuc ſupereſſet, id omne ſublatum penitùs foret ſpeciali illa Conventione inter utrumque Regem ſtabilitâ, Pactis Nuptialibus comprehensâ, quâ independenter à dotis conſtitutione, ſed ad conſervandam inter Coronam utramque perpetuam æqualitatem, ut ne in unum aliquando coaleſcant tam vaſta Imperia, utque hujuſmodi conſolidationis omnis occaſio, & anſa exſcindatur; *Placuit utrique Regi pactione inſtar legis ſemper valiturâ ſancire, ne unquam Sereniſsima Infans Thereſa, aut poſteri ejus ulli ad ſeros uſque Nepotes, quocumque gradu ſint, admittantur ad ſucceſsionem ullam, ſive Regnorum,*

ſive

sive Principatuum, Provinciarum, Ditionum, Dominiorum quorumcumque Regis Catholici, non obstante lege ulla, Consuetudine, aut alio Jure in contrarium, cui utriusque Regis autoritate plenissimè derogatur, contemplatione dictæ æqualitatis, & publicæ utilitatis, quæ inde emanatura speratur. Cujus periodi genuina verbis ipsis repræsentatio vel sola sufficere potest ad Consuetudinum vim omnem enervandam, si ad publicam successionem aptari aliqua ratione possent; Ita enim concepta est; *Estant les deux Couronnes si grandes, & si puissantes qu'elles ne puissent estre reünies en une seule, & afin que dés à present on previenne les occasions d'une pareille jonction*, &c. *Doncques attenduës les susdites justes raisons, & notamment de l'égalité qui se doit conserver, leurs Majestez accordent & arrestent par contract, & pacte conventionel entre elles, qui aura lieu, force, & vigueur de la loy ferme, & stable à tout jamais, que la Serenissime Infante d'Espagne, ny ses Enfans, & leurs Descendants en quel degré qu'ils se puissent trouver, voire à tout jamais ne puissent succeder és Royaumes, Estats, Seigneuries, & Dominations*, &c. *qui appartiennent, & appartiendront à sa Majesté Catholique, tant dedans, que dehors le Royaume d'Espagne, nonobstant toutes Loix ou Coustumes*, &c. *ausquelles leurs Majestez derogent*, &c.

Quibus verbis tam dilucidis, tamque disertis nemo refragaturus est; nisi apud quem *Pactum non pactum est, non pactum pactum est, cùm illi lubet.*

FINIS.

MC